



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini Carmina Selecta

Santeul, Jean de

[S.l.], 1679

Bullae Metamorphosis Seu Lachrymae Phyllidis In Bullam Primo, Deinde In  
Sidus Conversae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13401**



BULLÆ  
METAMORPHOSIS  
SEU  
LACHRYMÆ PHYLLIDIS  
IN BULLAM PRIMO,  
DEINDE IN SIDUS CONVERSÆ.



ESINITE ô miseræ Phaëtonem flere  
Sorores,  
Nam vestris quamquam ex oculis, & cor-  
tice duro

Pura electra fluant, teneris gestanda puellis,  
Phyllidis anteferam, quos muto in fidera, fletus.  
Fortè suos Phyllis, si vera est fabula Vatum,  
Et cantu querulo, & luctu lenibat amores,  
Lugentem miseratus Amor, Ne comprime, dixit,  
Hos luctus, ipsos quamprimùm in fidera vertam.  
Mox fluidos subjectâ oculis conchâ excipit imbres,

Grande aliquid meditans; his miscet fletibus undas;  
Artifices undas, medicatosque arte colores:

En motante Deo liquor omnis cogitur, omnis  
Jam formæ patiens, varias & promptus ad artes;  
Quem dein guttatim calamis fitientibus haurit,  
Hosque implet flatu calamos, mirabile visu!

Gutta tumet, parvumque sibi mox conficit orbem;  
Prodigium! orbe brevi totus describitur orbis.  
Non tot habet cœlum, picti non floribus agri,  
Non mare disparibus conchis, quot & illa colores.

Æmula præreptos è nubibus Iris honores  
Vidit & invidit, quoties conata malignis  
Fraudibus & flatu vitreos extinguere fœtus;  
Lethiferas sed Amor frangendo discutit auras  
Remigio alarum, & circum tutatur alumnam.  
Ergo novos meditata dolos se fingit amantem,  
Divinum nunc laudat opus, nunc laudat Amorem  
Artificem, & varios adverfo Sole colores,  
Miranti similis, vultuque immobilis unō  
Observat quânam arte tubi prodiret in auras  
Bulla, suumque tumens sensim componeret orbem;  
Et formatrices operum circumspicit undas,  
Aëraque, & gelido volitantes carcere flammæ.  
Cuncta elementa videt formandæ accurrere Bullæ:

His accensa super crudum celare dolorem  
 Non ultra evaluit, sic tandem prodidit Iris.  
 Quæ nova per cœlum, fastu quæ turget inani  
 Bulla? meos impunè audax imitatur honores,  
 Et quamquam incedo Regina, parenſque colorum,  
 Ambit & hos titulos temeraria; quid vetat ergo  
 Illa meos deinceps ſcandat ſub nubibus arcus  
 Nuncia Junonis? necquicquam jam vocor Iris.  
 Jamjam erumpentes Venus obvia temperat iras,  
 Et Dea ludentem his verbis excuſat Amorem.

Hoc opus eſt pueri ludentis, imago ſereni  
 Clara poli, nova perſpicuis ſine nubibus Iris.  
 Flatu oritur, moriturque, hanc format, & enecat auras  
 Sed tu quandoquidem neſcis, adverte, docebo,  
 Quam tenui lateant rerum miracula vitro.

Aspicias ut bibulo calamus bibit ore liquorem,  
 Ut liquor informis primùm, componitur intus,  
 Expectatque animam, & genitales poſtulat auras.  
 Hanc puer, hanc infunde animam, ſi Bulla madenti  
 Trudatur tubulo (nam flatu ductilis humor)  
 Naſcentem foveas, è pectore prome modeſtos  
 Pro tutela operis, flatus, & parcius urge:  
 Nam tenuis ventus ſe Bullæ infundit in orbem  
 Paulatim, hinc clauſo diſtenditur aëre Bulla,

Hinc capit innumeros magis ac magis aucta colores,  
 Quos motu amittit, reparatque volubilis uno;  
 Nam nova fit semper, quotiesque agitata movetur,  
 Mutatur toties, mox ignea tota rubescit,  
 Et monstrat sub aquis blandos sine viribus ignes;  
 Frigida mox, casus veluti præfaga futuri  
 Pallefcit, ferrugineos imitata colores.

Quod si fortè gravis nimiam tubus hauserit undam,  
 Altera post aliam succedet, & altera Bulla,  
 Et veniet semper quæ non sperabitur illa;  
 Si pereat malè nata, suo nimis obruta succo,  
 Perge inflare tubum, reliquosque animare liquores:  
 Succus pinguis inest, variisque coloribus aptus:  
 Alterius fato melior tibi Bulla resurget;  
 Et fragilis quamquam illa, cavoque simillima vitro,  
 Mentitur durum, jamjam peritura metallum.

Discite, Bullarum Artifices, festiva juvenus,  
 Quot casus Bullæ immineant; nam perfidus humor  
 Mille modis fallit pueros, qui fortè receptus  
 Interiore tubo quamprimum elabatur, & spem  
 Deludit pueri frustra incumbentis avenæ.  
 Sæpe etiam in gutta manet improbus, at magis instat,  
 Et magis ingeminat flatus puer, invocat artem,  
 Objurgat sese, calamumque explorat, & aptat  
 Necquicquam,

Incaſum; flatu nunquam fit ductilis unda;  
 Seu conceptam animam rimofa relaxet avena,  
 Sive anguſta nimis, nodo-ve obſtructa recuſet,  
 Seu denſet ſe ſe, ſeu rarior unda liqueſcat.

Sed ſi te moveat formandæ gloria Bullæ,  
 Labra puer digito, & graviorem comprime flatum.  
 Nam ſubito in veterem guttæ revoluta figuram  
 Diſſiliet, flebitque ſuam lachrymoſa ruinam.  
 Sæpe etenim vidi extinctas per flamina Bullas;  
 Intus ventus ineſt vitreum qui concutit orbem,  
 Illa autem venti impatiens gravioris in ipſo  
 Emoritur calamo, & pluvium ſe ſolvit in imbrem.  
 Dum fit opus, riſus quoque comprime: ſæpe cadendo  
 Ridentis pueri nitidos turbavit ocellos.  
 Illam æſtus gravior necat, illam frigus iniquum,  
 Sæpius invidiæ puerorum, atque æmulus ardor.  
 Si petis, innumeri ſuccedant unde colores;  
 Non omnes creat unda, illos, (ſi credere dignum eſt)  
 Fletibus impreſſit dum Phyllis luxit amores,  
 Illius ex oculis lachrymæ traxere cadentes,  
 Perque genas candorem illum, perque ora ruborem.  
 Aut quæ fracta cavo Solis lux emicat orbe.

Poſſe pati flatum, ut magis, ac magis illa tumefcat,  
 Te doceat Bulla pendente ſuperfluus humor.

Nam non crescit opus, si totam extenderis undam.  
 Incipe tunc cohibere animam, se credere cælo  
 Audebit, calamumque, patremque injussa relinquet.  
 Nam cum Bulla suum crescendo expleverit orbem,  
 Quærit abire fuga titubans, calamique per omnes  
 Itque reditque oras, sicco male pendula culmo,  
 A ventis defende locum, ne turbo caducam  
 Crudelis perimat media inter gaudia Bullam.

Finierat, nec enim poterat mulcere dolorem  
 Iridis; invidiæ crescunt, iræque tuendo.  
 Interea Veneris tutelâ, audacior ales  
 Prodit Amôr, digitoque premens permolle labellum,  
 Formatam ostendit, venti ludibria, Bullam.  
 Hancque tubo excutiens pennis flatuque fugabat:  
 Ni faceret, se sponte sua librasset in auras:  
 Ibat parva quidem, magnis sed debita fatis;  
 Hanc circum alati juvenes, infrâque, suprâque,  
 Et motu alarum & flatu parcente salutant.  
 Dum volat, objectâ ditescit imagine rerum,  
 Hæc urbes rapit, hæc populos, camposque patentés,  
 Et nemora, & vitreos altis cum montibus amnes:  
 Hic Lunam, Solemque novum tunc Sidera norunt.  
 Sed tantis onerata opibus, levitate superbit:  
 Ut tamen excipiat plausus, oculosque sequaces

Alliciat, remoratur iter, tardoque volatu  
Incedens, patrium sensim petit hospita cœlum.

Tum cuncti mirantur opus, sola invidet Iris,  
Non sibi, non oculis credit pater, ardet, & anceps  
Pendet ab eventu, longe comitatur euntem,  
Omnibus & votis locat inter fidera Bullam.  
I Bulla, I, dixit, regnis succede supernis.  
Ne tamen in Bullam ventorum improvida turba  
Irruat, hanc defendit Amor, mollique flabello  
Hanc urget sensim attollens, & remige pennâ,  
Hanc etiam cœlo pueri suspiria tollunt.  
Jam nubes supra, montes evaserat altos  
Aeriaeque plagas, regna impacata procellis.  
Ventum erat ad cœlum, ventorum ubi flamina nulla  
Vicinas superis audent vel tangerè sedes.  
Hic placuit Bullam instabilem conjungere stellis;  
Lucida erat, tunc lucidior: bibit ignea Solem,  
Et bibit æternos astrorum immobilis ignes,  
Queis vitreum corpus, frigentis more metalli,  
Consolidat, testæ aut potius multo igne recoctæ.  
Servavit teretem quamvis mutata figuram.

Hinc Bullæ cœlum affectant per inane volantes;  
Sed paucis licitum est superos evadere ad axes.  
Se se attollentes, in terras deprimit Iris



Vindictæ indulgens, & jam crudelior ira  
 Quas cœlo videt, in guttam pro Sidere mutat.

At tu dum cœlum sua sidera volvet eundo  
 Sidus eris mea Bulla, dies numerare licebit  
 Te surgente, mihi faustos & ducere Soles;  
 Et si fata velint, me me qui te omnibus astris  
 Adjunxi comitem, quondam acceptura Poëtam.

